

triumuirorum in urbibus, oppidis, et pagis maioribus instituta fuisse, praeter Synedrium magnum LXXI uirorum Hierosolymis, ex Hebraeorum pandectis satis superque nobis constat. In his ius secundum praeccepta Mosis, et instituta a maioribus accepta, in unumquemque exerceri poterat criminis reum, exceptis tantum tribus personis, a nemine, nisi a Senatus magni Praefide eiusdemque aëssoribus, iudicandis. Cuius rei testis est *codex SANHEDRIN*, ubi hanc legem memoriae proditam inuenimus: a) אין דנין לא את השבט ולא את נביא השקר ולא את אחר און דנין לא את השבט ולא את נביא השקר ולא את אחר *non iudicant integram tribum, uel falsum prophetam, uel Sacerdotem summum, nisi in conclau iudicii, quod est LXXI uirorum.* Quod uero sententiam in *FALSVM PROPHE- TAM* nulli alii, quam Senatui Iudaeorum summo ferre licuerit ex dicto illo, quod apud *IEREMIAM* b) habetur, haud incommode explicat *GROTIVS* c) hoc modo: *et dixit Rex Zedekia* הנה הוא בידכם *Ecce ille est in manibus uestris i. e. in manibus Synedrui magni, cuius est iudicare de falso et uero propheta,* quae explicatio *GROTII* apte conuenit cum reliquis Regis sermonibus כי אין המלך יוכל אתכם דבר *nam Rex non poterit uerbum uobiscum,* hoc est, non fitum est in Regis potestate quicquam sine conciliis uestris perficere. Hancque ob causam sensum huius dicti *beatus noster LVTHERVS* eruit, uerba Hebraea in sermonem pa-

C 2

trium

a) Cap. I. §. 5.

b) Ier. XXXVIII, 5. coll. cum Cap. XXVI, 8. *et factum est cum Ieremias finisset dicere omne id, quod illi Deus omni populo uaticinari mandauerat,* ויתפשו אותו הכוהנים והנביאים וכל העם לאמור מות תמות

c) in libro suo de iure belli ac pacis Lib. I. Cap. III. §. 20. et in Commentar. ad Cap. V. Matth. p. 81.